I. N. J. C. D. N. A.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

De

EXPOSITIONE VETERUM,

ejusq;

MORALITATE,

Quam cum

Consensu Amplissi. Facult. Philos.

Academ. Aboënsis,

PRÆSIDE

VIRO CL.

Mag. ALGOTHO A. SCARIN

HISTOR. ET PHILOS. CIVIL. PROFESS.

publice examinandam sistit

GUSTAVUS C. FABRICIUS

Ostro-Bothn.

Ad diem XVIII. Decembr MDCCXXVIII.

horis locoq; solitis.

ABOÆ, Excud. R. A. Typ. E. Flodström.

PERILLUSTRI GENEROSISSIMO QUE

COMITI AC DOMINO,

Dn. ADAMO HORN,

In Fogelwik/ Ådön/ Liesniemi & Ekebyholm Hæreditario

POSTERITATIS SUÆ GENTISQUE SPEI CERTISSIMÆ,

PATRIÆ & MUSARUM DELICIO

POLITIORIS LITTERATURÆ CULTORI FELICI, CULTORUMQUE PATRONO

ÆSTUMATISSIMO.

ILLUSTRISSIME COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME.

ANimum diu meum anceps distraxit cogitatio, splendidiora limina TUA *propius contingerem, an vero institutum idem, ceu inconsultum & temerarium, damnarem penitus. Ast cum solicitius intueor præclaram ad omnem virtutem indolem* TUAM (*futuræ magnitudinis augustum augurium*) *quæ in herbescente illa ætate* TUA *usq; quaque emicat; præcipue vero*

vero vultus & affectus Tui *ſerenitatem, ad humilia quoq; ſplendorem ſuum gratioſe dimittentem, dicam ignavi, aut verius abjecti animi ipſe mihi impingerem, ſi quæ alios allíciunt excelſæ virtutis* Tuæ *ſimulachra ab aditu gratiæ et humanitatis* Tuæ *meinet deterrere & profligare ſinerem. Suſceptorem* Temet, *Illuſtriſſime* Comes, *ambio fœtus immaturi mei, & quia non obſtetricante Minerva in lucem prodiit, perinde quoque infelicis. quem, cum in auram primum exiret, eundemq; ab amœnitate Muſarum admodum multum recedere animadverti, præeunte conſuetudine, modo in ipſa naturæ officina perimere, modo in Gemonias abjicere inſtitueram, niſi teſſera, quam a fronte gerit innoxiæ originis, inſtitutum priſtinæ impietatis damnaret, dolorem juxta faſtidi-*

umq;

umq; vinceret affectus. Eundem aris & focis extorrem si Tu *Illustrissime* Comes, *non fortunarum sed humanitatis* Tuæ *habita ratione, penitus non abolendum censeas, ad bene de eo sperandum signum mihi lætissimum sublatum existimabo, & quidquid* potestatis patriæ *ad me pertinebit,* Tibi, *si visum fuerit,* Tuæq; *recipientis & servantis misericordiæ in solidum transscribam. Vive* Spes & delicium *Patriæ dei sideratissimum & ad propagandam exemplo* Celsissimi Herois, Parentis Tui, *generis gentisq; Svecanæ gloriam quam longissimè, fatum illius, cujus nomen geris, feliciter imple. Est illa votorum summa*

ILLUSTRISSIME COMES
TUI

Clientis devotissimi
Gustavi Fabricii.

Nobiliſſimo atq; Ampliſſimo Domino,

Dn. JACOBO FABRICIO,

Capitaneo Legionis Weſtrobothnicæ
Fortiſſimo,
æternum colendo.

Admod. Rever. atq; Præclariſſ. Viro.

Mag. ERICO CAJANO,

Eccleſiarum Cronobyenſium Paſtori vigilantiſſimo, viciniq; diſtrictus Præpoſito dexterrimo, & vergetæ pia mente ſuſpiciendo.

Admod. Rever. atq; Clariſſ. Domino,

Dn. JOHANNI FORBUS,

Paſtori Sijkajokienſium longe meritiſſimo, ob favorem ſingularem æternum colendo.

Admodum Rever, atq; Præclariſſ. Viro,

Dn. JACOBO GARVOLIO,

Paſtori Eccleſiar. Biörneburgenſium longe vigilantiſſimo, Præpoſito adjacentis diſtrictus graviſſimo, nec non Scholæ Trivialis ibidem Inſpectori accuratiſſimo, Patrono omni animi obſervantia jugiter devenerando.

Admod. Rever. atq; Præclariſſ. Viro,

Mag. NICOLAO MATHESIO,

Eccleſiarum, quæ Chriſto in Pyhæjoki colliguntur Paſtori digniſſimo, adjacentiq; contractus Præpoſito accuratiſſimo, quovis obſervantiæ cultu proſequendo.

Admod. Rever. atq; Præclariſſ. Viro,

Mag. MICHAELI LITHOVIO,

Paſtori in Lapo laudatiſſimo, Nutritio propenſiſſimo, avunculi loco pie habendo.

Plur. Rever. atq; Clariſſimo Viro,

Dn. CHRISTIER. GISSELKORS,

Paſtori in Limmingo digniſſimo, avunculo æſtumatiſſimo.

Conſultiſſimo atq; eruditiſſimo Viro,

Dn. ERICO DAHLGREN,

Civitatis Pithenſis Conſuli æquiſſimo, digniſſimo.

Plur. Rever. Doctiſſimoq; Domino,

Dn. ISACO LITHOVIO,

V. D. Miniſtro in Limmingo optime merito, Avunculo jucundiſſimo ob beneficia plurima ſancte devenerando.

MAgnis pro meritis ſunt
Attamen eſt ſignum
VESTROR.

Cultor ob-

A. &

Plur. Rever. atq; Clariſſ. Domino,

Dn. JOHANNI CAJANO,

Paſtori in Lochto laudatiſſimo, Fautori perpetim venerando.

Plur. Rever. atq; Doctiſſimo Domino,

Dn. ERICO LÖNNBERG,

V. D. Miniſtro in Pitheo meritiſſimo, Parentis loco honorando.

Spectat. dignitatis atq; prudentiæ Viro,

Dn. LAURENTIO FABRICIO,

Curiæ Pithenſis Senatori laudatiſſimo, Patruo ſincero affectu ad cineres ſuſpiciendo.

ſane munera parva,
pectoris hocce boni,

NOMINUM

ſervantiſſimus

Reſp.

Handelsmannen uti Uhleå/

Den WälEreborne och Högwälachtade Herren,

Herr CARL FAGERHOLM,

Min Högtärade Kiäre Morbroder.

HUr' Hedna-folcket fritt sin' barn tordt bortkasta
Vår theras fostring them en omsorg syntes hasta/
Det wilsa dette blad jag går at lägga ner
För Morbror denne gång/ ty jag nu kan eij mer.
Ehuru jag med sorg och ängslan hafwer prófwat
Har ödet mer än swårt mig ofta giordt bedróswat/
När jag begrepen städt i någon wichtig sak/
Har Morbror likwäl giedt min sak en bättre smak.
Fast jag med döden mäst min Fader tidigt mista/

Och

Och i hans saknad se min nödtorft swåra brista;
Min wälfard har likwäl Ehr så til hiertat gådt
At jag i Ehr försorg min Fahr ej saknа fådt.
Nu himlen signe Ehr til kroppen och til lifwet/
Och fylle tusendfalt för det I mig ha'n gifwit:
Ehr utgång signe han/ Ehr ingång och Ehrt wärf
Han fröje Eder från all skada och förderf.

Min Högtärade Herr Morbroders

Wördsamma tienare

GUST. FABRICIUS.

Handelsmännerne
Ehreborne och Högwälachtade Herrar/
Herr JACOB SALANDER,
Och
Herr LARS FORBUS,
Mine gunstige Gynnare.

Der gunst och godhet prisa
Som J mig behagat wisa
Kan jag intet fast jag wil
Som sig bör nu hinna til.

Lofwar med ett tacksamt sinne
Stadigt hafwa them i minne/
Så at gunsten som jag rönt
Ej med glömsko blifwer lönt.

Jag Ehr dessa blad nu gifwer/
Eder också them tilskrifwer/
At J ta'en them gunstigt opp/
Är min längtan och mitt hopp.

Fast

Faſt de intet kunna ſwara
Mot Ehr gunſt/ doch få de wara
Likwähl wittnen at jag är/
Den ett tackſamt hierta bär.

Mina

Högtärade Gynnares

Hörſamſte tienare

G. FABRICIUS.

Doctissimo Domino,

GUSTAVO FABRICIO,

Amico in paucis dilecto.

SI quid unquam laudabile, bonum, præstabile in rebus humanis reperire licet, illud certe in sapientiæ illa divinarum humanarumq; rerum politia cernitur, quam qui non agnoscit vel vituperat, haud scio, quid sit quod laudandum putet. Ex hac enim oblectatio animi, requiesque curarum; ex hac norma vivendi, & officiorum regula quæritur; per hanc natura rerum explicatur & cognoscitur; ignorantia & superstitio profligatur, ac expellitur, unde innumerabiles errores in vitam humanam invadunt; Hanc tolle & solem e mundo, rempublicam ex orbe, rationem ab homine tolles; feritatem & flagitia moribus, caliginem mentibus, pestem ac interitum humanis rebus induces. Hanc igitur qui colunt & huic ætatem, vitam, copias, omnesq; facultates addicunt, aut nulli boni, laudabiles, præstabilesq; sunt judicandi. Quorum in numero cum & Te nomen Tuum profiteri com-

comperio, amiciſſime FABRICI, *edendis primitiis illis egregiis, qvas in ſpecimen, Tuarum in ſapientiæ ſtudio progreſſionum jam publicæ luci comittis; laude omnino Te & favore omnium dignum cenſeo. Quocirca ex animo gratulor Tibi bonitatem ingenii, ex quo tanquam fertili agro hunc eximium fructum provenientem video, & deinceps clariores ſpero. Macte ulterius, amice optime, eadem hac diligentia, & virtutis ſtudium, quod feliciter ingreſſus es, felicius decurre. Benigniſſimum æternum Numen cœptis Tuis adſpiret, ut vergant in nominis ſui gloriam, Reipubl. emolumentum, & Tuum Tuorumq; gaudium ornamentumq; maximum! Ita gratulari voluit*

CARL JOH. JEGERSCHIöLD.

CAPUT PRIMUM.
PROOEMIALE.

Thes. I. *Vitæ primævæ barbariem & cetera incommoda ostendit.*

II. *Probantur ex ignorantia indolis & jurium, quæ humanam naturam sequuntur.*

III. *Inter illa jura eminet status æqualitatis.*

IV. *Ejus ignorati aut saltem dissimulati juris exemplum est sævitia in naturæ consortes, quam potentior quisq; sibi permisit.*

V. *Crudelitatem eandem, mutata licet barbarie, in moribus gentium pertinacissime duraße tradit. Qua occasione de vitiis etiam in virtutes degenerantibus morisq; & consvetudinis receptæ difficillima mutatione, dißeritur.*

THESIS I.

STatus hominum primævi conditionem ante artium, vitæ humanæ maxime ne-

neceſſariarum inventionem & introducta imperia civilia, multis obnoxiam calamitatibus, nec cum præſentis vitæ cultu ullo modo comparandam eſſe, neminem iturum inficias crediderim. Natura enim humana per labem originalem (quam licet in terminis non novit natura, fructus & affectiones male ſanæ produnt tamen) intime corruptâ, non voluntatem modo ad prava ac noxia quævis proclivem factam, ſed intelligendi vim quoque denſiſſimarum tenebrarum caligine, ceu nube quadam, obductam eſſe, ignorantia, perverſæ ratiocinationes, dubia & hæſitationes de opinionibus qualitercunq; perceptis, ſat luculentum perhibent teſtimonium. Tantaq; labis hujus ad pervertendum creationis finem ſeſe vis & efficacia exerit, ut niſi fundo parum felici diligens acceſſerit cultura, inſitum naturæ lumen extingvere pe-

penitus, hominemq; in eum ſtatum detrudere valeat, in quo brutis nullâ, præter erectum ad ſidera vultum, præſtantia naturæ antecellat. Naturalis in intellectu cœcitatis, quid qvæſo luculentum magis teſtimonium, quam idololatria illa turpiſſimiq; de ſenſu & cultu Numinis errores per orbem paſſim divulgati; quiq; mortalium animos usq; adeo obnubilarunt, ut divinos honores modo ipſis ſibi ſuisq; cupiditatibus *a*) modo civibus & majoribus præclare meritis, non raro etiam ſenſibilibus nobilioribus aliisq; rebus inanimatis deferre non olim dubitaverint, neq; hodie dubitent multi. Cujus non alia apud antiquos, de quibus in præſentia loquimur, mali cauſſa fuit, quam quod in iſta inculta barbarie, luminis revelati

(*a*) *Ambitioſus honos & opes & fœda voluptas. Hæc tria pro trino Numine mundus habet.*

lenſim extincta notitia, ex principiis practicis & theoreticis naturæ inſitis, talium opinionum & errorum abſurdiſſimam impietatem deducere nequiverint. Deaſtutia, nequitia, alienæ innocentiæ inſultandi petulantia & denique exercendarum quarumcunq; cupiditatum præcipiti licentia quid dicam? Cum non profani modo, ſed inprimis ſacri primorum temporum annales, quæ ex illa mentis humanæ cœcitate, præſertim accedente peccandi conſvetudine & auctoritate, longe maxima incommoda in genus humanum redundaverint, loquantur paſſim. conqvirendis in uſum noſtrum teſtimoniis & exemplis ſuperfluis in præſentia ſupersedemus. ſatis habentes digito notaſſe illam malorum lernam, puta arbitrium in proprium genus ſæviendi, quale gentes ſibi olim aſſeruere per ignorantiam, ſive veram ſive affectatam jurium illo-

rum

rum, quæ æqualem naturæ rationalis ſtatum ex inſtituto creationis neceſſariò comitari ſolent.

Theſ. II.

CUm in illa ruditate primorum temporum vitæ recte inſtituendæ ratio nulla, nedum certa & evidens ſuppeteret, neque in artibus, quæ ad humanitatem & honeſtatem ducunt tanto niſu ingenia olim, uti hodie fit, excolerentur, quid mirum, ſi jurium illorum, quæ ſunt hominum, notitia, ex doctrina morum præcipue haurienda, eadem quoque deſtituta fuerint; ſtatumque hominis naturalem cum ſuis privilegiis plurimi neſcientes, effrenarum cupiditatum ſtimulis obſequendo, quidlibet in qvemlibet licere, turpi errore ſibi perſvaſerint? In ceteris juribus, quæ ſtatum hominis naturalem magnopere exornant & perficiunt, *æqualitatis* & *independentiæ humanæ* privilegium præcipuo loco numerandum novimus. Cujus in eo pulcherrima vis eluceſcit, quod cuilibet legis

gis naturalis præcepta adverſus alios ejusdem naturæ conſortes, cum benevolentia, exercere competat, neq; in alios ſibi quisqvam plus poteſtatis tribuere, quam in ſe iisdem viciſſim concedere velit. Fundamentum hujus naturæ privilegii non aliunde quam ex ſtatu humanitatis & rationalitatis omnibus communi ejusque veritate & conſcientia derivandum eſt. Neque enim qvisquam mortalium eſt, qui non ratiocinari valet, & mediante iſta facultate ſuam a ſuperiore dependentiam, ſuamque perinde atq; aliorum hominum perfectionem, brutorum indoli multis paraſangis antiſtare, videt. Habet mens noſtra ſublime quiddam & erectum & impatiens ſuperioris, teſte Seneca. Et licet æqualitas illa in ſtatu adventitio, cum ſuis juribus nonnullis ſuſpendatur, quo ad exercitium plenarium, ordinis atq; dignitatum homines inter ſancito diſcrimine: Imo licet ingeniorum & inclinationum diſcrimina multa ſeſe prodant in aliis atque aliis hominibus; adeo tamen priſti-

næ illius & communis dignitatis conſcientia nullius animo unquam expungi poteſt, ut a ſuperiore homine jura illa ſua, quæ cum aliis communia habet, pro lubitu diſpenſari poſſe credat, ſibiq; actus, qvi cum lege illa pugnent, juſte imperari atq; injungi. *b)*

Theſ. III.

b) Conferri in hanc ſententiam merentur quam maxime illuſtris J. Conſulti Batavi, G. van der Nodtz *verba, quæ legunt ur in in diſſert. illius* de jure Sumi imperii: *Rerum, illa quæ dicitur, Natura magiſtratus & ſubditi, ſervi & domini appellationes ignorat: tantum homines fecit, omnes liberos, omnes pari conditione. quo enim pertinet, quod per æq; ſuis quemq; viribus inſtruxit? quo pertinet, quod ſibi quemq; ſtatim ac natus eſt, commendavit ita, ut nil ſe cuiq; carius ſit? quo pertinet quod ſuum cuiq; dedit utilis ac noxii ſenſum? niſi quod voluit, quibus pares conceſſit facultates, paria habere jura in omnibus quæ ad ſui conſervationem cunctis in medio poſuit.*

Thes. III.

Hujus autem æqualitatis temerarius neglectus, quantum honestati & pulchritudini vitæ humanæ derogaverit, quantum mores atq; instituta & mox auctoritas patrum, qui omnia sibi solis licere volunt; in summa: quantam disciplina MORUM serius & plerumq; præpostere tradita & exculta, ignorantiam jurium & conditionis humanæ, licentiamq; inde quidvis sentiendi & audendi invexerit, non verbis exprimere, nedum cogitatione assequi quisquam potest. Etenim si sinceritate & fide, qua fieri debuisset, in eandem docendam discendamq; incubuissent prisci mortalium, si mores & emolumenta Philosophiæ non in difficiles nugas & vocum difficulter intelligibilium farraginem convertissent posteri *c*) toties non

c) *Conf. Senec. Ep. 48. vis scire quid philosophia polliceatur generi humano?* IN-columitatem, opem, consilium *Senecæ adjunge si velis, H. Ernstium in statera jurisprud. & jurisconss. eadem sen-*

ten-

non moribus veterum nobis placeremus, eandemq; cum majoribus lira lirantes, vitæ humanæ complures actus, quæ ſocialitatem lædunt & tantum non deſtruunt, ſophiſtica ſub larva pietatis atq; virtutis nobis aliisque palam imponere pateremur. Veterum moribus quantum in omnem prope honeſtatem ejusque leges licuerit, hiſtorica illius ævi monumenta teſtantur abunde. *Bella* eorum terra marique, quamvis multa cum gloriæ & quod magis mireris, pietatis quoq; præſumtione, injuſtiſſime tamen ſuſcepta atq; perfecta, quantum innocentiam alienam nefarie oppreſſum ivere? Illa Ariſtotelis

tentia plane ex Beſoldo diſerentem: Pudeat ſi qui ita ſe addixerint litteris, ut nil poſſint ex his neq; in communem ſocietatem neq; in foro afferre utilitatis. Ego pro minutis ſubtilitatibus, quibus acui ingenium vulgo exiſtimatur mavelim Hiſtoricis & Politicis meditationibus acumen conciliari, & operam, quæ ſupervacaneo illi ſtudio confertur, his tribui, utilibus *magisq; jucundis.*

philoſophia de ſervitutis charactere non exiguæ mortalium parti a natura impreſſo, quantam cladem ſocietati humanæ attulit? Quot non illius intuitu, myriades ſervorum apud Romanos, citra culpam, capite diminuti & ferarum immanitati demum per ludum & jocum objecti? Quæ vulgata magis & in uſu res, quam vultu & habitu ſanctitatem vendere DEique cauſſam vitiis & ſceleribus obtendere? in ſpectaculis pacis bellique publicis, quanta Pontificis edicto, hominum non gentilium modo ſed & Chriſtianorum ſub ſpecie pietatis & religionis, *) moriendi & occi-

*) *Tantum relligio potuit ſuadere malorum* Lucretius exclamavit, cum Agamemnonem propriam filiam ſuam immolaſſe, ſibi ante oculos ponebat. Conſpirat in eandē cum poëta ſententiam *Baco de Verulamio*, de gladio in caſu religionis non temere ſtrin gendo diſſerens: *Inſignis* inquit ille, *Blaſphemia erat, cum diceret diabolus; Aſcendam & ero ſimilis altiſſi-*

mo.

cidendi neceſſitati promiſcue data ſeges fuit? Ne quid de ſervitute illa involuntaria dicam, quæ ex eodem capite in multis imperiis *legitimis* etiam hodie obtinet. In quibus licet imperii & ſubjectionis quoddam æqvilibrium pacto conſtitutum fuerit, Zelo, neſcio quo, multi ſtatuant tamen actus imperantium aſſidue injurioſos & nexum ſocietatis humanæ palam diſſolventes, non jus dare civitati a fide ſubjectionis deflectendi; nedum vicinæ genti læſæ aliquando fas eſſe imminentem cædi & ſanguini inhumanitatem alienigenæ principis, adhibita dethronizatione aliisque mediis idoneis profligare. quaſi ex illa le-

mo. Sed adhuc major blasphemia erit, ſi quis Deum introducat dicentem: Deſcendam & ero ſimilis principi tenebrarum. Quid autem hoc ab illo differt, ſi cauſſa religionis deſcendat, præcipiat & crudelia & execrabilia ſcelera: principes trucidandi, in populorum vitas graſſandi & imperia funditus evertendi, &c. &c. Serm. fidel. III. Adde Illuſt. Thomaſ. prudent. Conſultat. C. V. 14.

lege, cujus imperio ſubjecti etiam qui gentibus imperant, non rationem & utilitatem, ſed atrocitatem & ſuperbiam importet *imperium*, principisq; immanitate perire melius ſit atque juſtius, quam eundem, ne ipſum ſe civesque ſuos perdat, in ordinem redigi. *d*) Tantum tyrannus ille trium litterarum *e*), tantum opinio præjudicata poteſt, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas. Poſſemus alia adhuc exempla adducere incommodorum longe maximorum, quæ communiſſimis hiſce humanitatis juribus ignoratis aut ſaltem falſo interpretatis, mortales naturæ humanæ perpetuo extorres facere ſolent *f*), niſi argumentorum *ab invidia* me-

d) *Confer, ſi viſum fuerit, Anonymi* pro *rege Poloniarum dethronizato ejusq; intimo Conſiliario Patkullio perduellionis damnato virulentum ſcriptum, anno 1705 editum.*

e) *MOS. vide Eraſmi Colloq.* Puerpera.

f) *Referri huc ſaltem poſſunt hierarchiæ Papalis de occidendis Regibus & civibus hæ-*

re-

metuendæ umbræ me deterrerent penitus, inveteratæq; in moribus antiquitatis, nequitiæ exemplum satis luculentum proderet dissertatio præsens. Quod seculi vitium cum liberalis exercendi ingenii causſa, in sequentibus excutere aggredior, Tuam, mihi, Lector benev. æquanimitatem & judicium præscriptione immemorialis auctoritatis non ante occupatum exposco.

Thes. IV.

PRobavimus in ante dictis quemlibet hominem, cujuscunque sit conditionis, sive servus, sive filius, sive

reticis tyrannica decreta pridem damnata & sub specie sapientiæ cœlestis & gloriæ Divinæ propagandæ, magna cum strage humani generis non raro exequutioni data. Legisse non pœnitebit Mureti orationem nuptiarum & lanienæ Parisiensis defensoriam & terniönem epistolarum de nuptiis iisdem quæ Muretianarum orationum editioni Thomasianæ ad finem adjectæ sunt.

ve civis, comitari ſtatum æqualitatis & humanitatis, ita ut creationis lege ejusdem ſit æſtimationis ac qvivis alius. Hinc ergo quæri poteſt, unde iſta ſævitia primum orta, quod publice & privatim ſibi poteſtatē permiſerint homines ſæviendi in naturæ conſortes, inprimis liberos & ſervos? Cauſſam & originem tantæ inhumanitatis cum in antecedentibus quomodocunque explicuerimus, cur in hac quæſtione ſolvenda prolixitati ſtudeamus, nulla adeſt ratio. Breviter itaque reſpondemus, ortum duxiſſe hanc truculentiam ex eo, quod homines ſimpliciores jura & privilegia illa ignoraverint, quæ naturam ſequuntur humanam, unde factum, ut jugum ſervitutis hi ſibi paſſi ſint imponi: perſpicaciores vero & potentiores neſcientes ipſi quoque jura iſta, aut certe diſſimulantes, poteſtatem ſibi arrogaverint in humiliores naturæ conſortes, eosque indignis modis tractaverint. Certum itaq; eſt ex ignorantia alterius partis minimum, ejusmodi profluv

fluxiſſe violationem jurium. Cujus enim, ſuæ licet rei, ſed ab aliis occupatæ, quis deſtituitur notitia, ejusdem poſtliminii jure recuperandæ ſpes aut cogitatio ulla, animo neque ſuboriri poteſt. Cum vero ipſis ignotum fuit, ſævitiam hanc eſſe adverſam ſtatui æqualitatis humanæ, mirum non eſt fœdiſſimæ crudelitatis notam homines antiquitus non in bello ſolum, ſed & in pace ſibi paſſos fuiſſe inuri. Dico in bello, quamvis enim omnis ille, qui bello injuſto alium adoritur, non in ſtatu ſociali, ſed bellico verſetur, in quo omnia officia & obligationes juris naturalis, quæ ſocialitatem ſupponunt, tantiſper ceſſant: præterea etjam in quemcunq; belli eventum videatur compromiſiſſe, & eandem, alteri in ſe poteſtatem, quam ſibi in eum arrogat, permiſiſſe; imo licet interficiendo lædi poſſe hoſtem, nulli dubitemus; præſertim cum plerumq; ſine cædibus, finis belli obtineri nequeat: Ideo tamen putandum non eſt, hanc licentiam nullum

habere temperamentum ex jure humanitatis & fine belli; cujus neceſſitas, ut jus homini dat multorum actuum moralium exercendorum, qui alio tempore ſuſcepti patrantem ſummæ injuſtitiæ arguerent: Ita durante licet ſtatu hoſtilitatis, quisquis terminos illos transgreditur & in res promiſcue omnes, etiam a quibus nil periculi metuendum habeat, ſibi pro lubitu decernendi poteſtatem permittit, in leges humanitatis non ille minus peccare cenſendus eſt, quam qui pacis tempore alienæ innocentiæ temere inſultaverit, *g)* Unde excuſari non debent veteres, quod in imbellem ætatem, fœminas, infantes lactentes, præterea quoque ſupplices & captivos dira exſecrandæ crudelitatis exempla ſtatuere ſoliti fuerint: inprimis vero non ſine horrendo & inexpiabili ſcelere, plusquam barbaræ libidini velificantes, fœminis *ſtu-*

pra

g) Heroica in hanc ſententiam verba Alexandri apud Curtium: *Bellum cum captivis & feminis gerere non ſoleo: Armatum ſit oportet, quem oderim.*

pra intuliſſe cenſendi ſunt; nihil enim hoc momenti traxit ad bellum feliciter gerendum. Atque utinam deteſtandi moris nulla noſtro ævo ſuppeterent exempla: Sed quæ ſuperiori ſeculo peracta Parthenopoleos expugnatione ſævitici plusquam belluinæ, præſertim vero virginei pudoris expugnati monumenta ſtatuere Catholici, ſacrum repurgandæ religionis Chriſtianæ zelum mentientes, clariora ſunt, quam quæ obrui nocte ulla aut vetuſtate corrumpi poſſunt *b*). Graviſſime hoc quidem in omnem humanitatem peccatum eſt cenſendum, interim cum in bello gloria & propulſandi a ſe periculi ſtudium homines alioquin mites, ferventiores identidem ſævioresque reddere ſoleat, grandiori adhuc ſcelere ſemet obſtringere cenſendi, qui eodem inſolentiæ ac inhumanitatis genere temporibus pacis in naturæ ac jurium conſortes, cumprimis autem liberos atq; ſervos

b) *Conf.* Jäger *H. E. & Civ. Decenn. IV. Lib. I. cap. IX*

graſſari non verecundati ſunt, ita ut vel tenellos adhuc expoſuerint, vel levi de cauſſa vitam ademerint: & quod ad ſervos attinet, vel murænis, quas in ſuis ſervabant piſcinis, aut leonibus objecerint, vel alio quovis modo inhumaniter tractaverint. Neq; enim ullius ſocietatis humanæ ejusque finis obtinendi ratio tantam poteſtatem requirit. Quamobrem indubitatum manet, quod ſi quis in imperio ſive domeſtico ſive politico vitæ & necis arbitrium ex licentia affligendæ, pro lubitu, incolumitatis ſubditorum, non ex ſalute omnium & ſingulorum tuenda & procuranda metiatur, is in Deum & ejus leges quas modo innuimus graviſſime impingat.

Theſ. V.

OStenſa in antecedentibus turpitudine & origine non unius peſſimi inſtituti, quod receptum moribus

ipſas

ipſas quoque leges in ſuam poteſtatem perduxit; de expoſitionis ritu porro dicendum, quod poſt mutatam ceteroquin felici ſidere apud moratiores gentes, barbariem, in moribus & vita tamen ille ritus pertinaciſſime duraverit. Ut multa, ad aſſerendam illam veritatem, afferamus teſtimonia, parum opus eſſe videtur, cum eandem nullius non veteris ſcriptoris auctoritas confirmaverit, & quæ in capite Hiſtorico porro adducturi ſumus, ad liquidum, quod ſperamus, erunt perductura. Fuit enim hæc prolem exponendi immanitas adeo cultioribus etiam gentibus familiaris, ut *Strabo* de Ægyptiis tanquam peculiare quid, aut admiratione dignum referat, quod omnes filios educaverint. Sed quæ tandem cauſſa fuerit, quæret quispiam, qvod poſtquam tot orbi innotuiſſent celeberrimi legum conditores, Lycurgi, Solones, ceteri: inquam, poſtquam literarum humaniorum ſtudia, qvo-

rum laude Græcia cumprimis floruit tanta cum diligentia excoli, doctrinæ practicæ ſcita, virtutum pulchritudo vitiorumque fœditas, animis juventutis non minori ſedulitate inſtillari cœpiſſent, & cetera omnia in mitiorem redacta fuiſſent faciem, qvod inqvam hiſce non obſtantibus, priſtina hujusce turpitudo & ſævitia moris non potuerit exſtirpari? Cauſſa ſine dubio hæc erat, qvod, qvanquam luce ſua evidentiaque clariſſime radiaverint præcepta juris naturalis, morisque hujus ad illius veritatem, relati fœditas ipſam ſe ſatis proderet, homines tamen oculos ſuos clauſerint, ne crudelitatem ſuam & miſerrimam liberorum conditionem animadverterent, nedum magnitudinem peccati, quo non leges ſocialitatis modo miſere violarunt ſed & affectum, qvo partum a ſe editum omnium animantium generi, natura tenerrime conciliavit. Deinde licet belluinum iſtum vivendi modum antiquioribus uſurpatum in

cul-

cultiorem vitæ conditionem mutandi neceſſitatem propriæ ſalutis ac incolumitatis procurandæ ratio impoſuerit, cum alioquin iſtis miſeriis, quibus primævi mortales obnoxii fuerunt, non potuiſſent occurrere; tamen quia tenellorum expoſitio haud multum ſocietati officere, aut cum reipubl. turbatione videbatur eſſe conjuncta, nihil interim parentum crudelitatem remorante tenerrimo in fœtum affectu ac propenſione, facile ſibi perſvaderi paſſi ſunt, turpitudinis hoc ipſum nihil quidquam involvere. Itaq; qvamqvam nihil fere crudelius excogitari poteſt, quam in parvulos rationis uſu adhuc deſtitutos horrendæ ſævitiæ virus effundere eosque uſura lucis privare: Nam & *Leo ubi ſævit, in viros prius quam in fœminas fremit; in infantes vero non niſi magna fame;* teſte Plinio *a*) Accedente tamen conſvetudinis, longo tempore receptæ, auctoritate, cum omnia inter qvasvis gentes, ut Ne-

a) *Plin. in hiſt. natur. VIII, 16.*

Nepos obſervat, inſtitutis majorum judicarentur, tantum abfuit, ut exſecrandum morem ceu inhumanum & ſocietati pernicioſum rejicerent, ut potius eundem tanqvam cum utilitate, qvam falſo præſumebant, conjunctum, ne ſcilicet familiæ liberorum multitudine gravarentur, vel maxime retinendum cenſuerint. Apparet inde, quantum conſvetudinis, dum longo temporis tractu obtinuit, vis ſit, eandemq; non ſolum difficulter mutari poſſe, ſed virtutum quoque ſemina, natura inſita, ubi diu invaluit, penitus ſuffocare, quemadmodum exemplis pluribus antea demonſtratum ivimus.

CAPUT SECUNDUM
HISTORICUM.

Theſ. I. *In tempus, quo primum hæc inhumanitas invaluit, inquirit.*

II. *Apud quas gentes maxime fuerit uſitata docet.*

III.

III. *Scandianis Ethnicis frequentatam fuiſſe vix probari poteſt.*

IV. *Duplex fuit expoſitio, ad vitam altera.*

V. *Altera ad necem.*

VI. *Quo tempore apud Romanos deſierit, diſputat.*

VII. *An alicubi gentium utrumq; expoſitionis genus, an vero alterum tantum uſu hodienum veniat, inquirit.*

Theſ. I.

EXpoſitis in capite præliminari cauſſis & origine atrocitatis in exponendis infantibus veteribus uſitatæ; requirit jam ordinis, quem ingreſſi ſumus, ratio, ut gentium annales excutiamus, & qvæ præſenti argumento & fidem & lucem uberiorem conciliare poſſunt, teſtimonia ex illis adducamus. Qvemadmodum autem ſemper in hiſtoricis præcipua de tempore, quo hoc vel illud primum cœperit quæſtio eſſe ſolet; ita noſtrarum quoque eſſet partium eundem circa præſens negotium ordi-

dinem ſervare, niſi tanta, quod ad hanc circumſtantiam caligine involuta res eſſet, ut inde eluctandi, ſpes plane nulla nobis relicta ſit. Præciſe itaq; qvo tempore exponendi orta fuerit immanitas, in communi ſcriptorum ſilentio, ut certum qvid ſtatuamus, nemo, ut ſperamus, poſtulabit. Si tamen quando primum apud Hiſtoricos moris illius veſtigia occurrant, quæſitum fuerit, quandoquidem Moſe annalium ſcriptor nullus antiquior vetuſtiſſimum immanitatis hujus a Pharaone exercitæ exemplum, hic qvoq; ſuppeditabit. Ille enim Rex præpoſtero ſaluti reipubl. conſulendi ſtudio ductus, ægre ferens populum Iſraeliticum nimis multiplicari in ſuam, ut præferebat, & civium perniciem, publico edicto omnes maſculos perdere & extinguere deſtinavit: imperii viribus ullo neq; negotio exſeqvuturus deteſtabile conſilium animi, niſi SUPERIOR vis interceſſiſſet, idemq; plane eluſiſſet. Fateri qui-

dem

dem neceſſum eſt, hæc & alia ejusdem generis exempla, accurate loquendo, identidem quæſtiones de origine ritus hujus minus apte probare. Inprimis, quod Ægyptios attinet, animo etiamnum recenti obverſantur, quæ de illis in ſuperioribus notavimus; nempe tenellos abjiciendi conſvetudinem apud eos non fuiſſe receptam; adeo ut, quæ eorum aliorumq; nonnullorum principum impetu atq; imperio ſingulari, in teneros nihil mali promeritos, horrendæ ſævitiæ exempla data fuerint, non confundi debeant cum publica & legibus civitatis imperata poteſtate emoliendi ſobolem humanam, quæ apud plerasq; olim gentes, cultiores æque ac barbaras invaluerat, quaq; ne vel *patria* membris inutilibus, vel *familiæ* liberorum multitudine onerarentur, cautum putabant. Tyrannidis in principe documentum illud loco plane eodem habendum, quo flagitium idem a ſubdito privatim commiſſum habere

ſolemus. Interim quod factum ipſum Pharaonis attinet, non dubitandum, quin crudelitatis iſtius exercendæ, ſcelerisq; in infantes perpetrandi occaſionem, ex aliarum gentium tum temporis uſu ac conſvetudine, ſumſerit. Præſertim in iſtam opinionem nos adducit Moſis arca cannea incluſi in flumen conjectio, ea quæ Græcorum aliarumqve gentium expoſitioni, qvæ ad vitam fieri dicebatur, cujus in ſequentibus mentionem facturi ſumus exacte reſpondebat. Ubi tamen notandum, parentibus Moſis eandem neutiquam inhumanitatis & aſtorgiæ notam aut maculam inurendam, quam ceteri gentilium, prolem nefarie a conſpectu amoliendo, contraxerunt. Nam qua materiale qvidem, ut Philoſophi loqvi amant, convenire videntur; formale tamen utrobiq; diverſiſſimum eſt. Neqve enim ambigendum, qvin naturæ inſtinctu perinde atq; ſingulari Numinis conſilio, cujus in omnibus heic circumſtantiis admirabilis providen-

tiæ

tiæ favor eluxit, hanc ad eludendum tyrannicum edictum & prolem ſervandam, viam ingreſſi ſint Parentes; qvidqvid de iisdem nugetur Philo Judæus, utrumq; conſilium iniiſſe de exponendo filio non homine, nedum animali, anteqvam nutricis intercederet officium *a*).

Theſ. II.

PORro nobis incumbit paucis diſqvirere de gentibus, apud qvas maxime iſta inhumanitas vulgaris fuerit. Romanos gentium domitores, ab hac exſecranda inhumanitate plane non abhorruiſſe, crudelis gemellorum Romuli atq; Remi expoſitio luculenter teſtatum facit. Imo cum conſtet, Romanis certos circa expoſitionem infantum fuiſſe judices, eandemq; cum Spartanis, de qvibus modo, legem; facile patet, idem qvoqve judicium fuiſſe, idem decretum. Spartani ſcilicet inſtituto & lege Lycurgi

a) Philo de vita Moſis.

gi, recens natos ad quoddam tribunal, cui Leschæ nomen erat, deferre tenebantur, ut a tribulibus explorarentur, corporis ne aliquo defectu, imbecillitate aut incommodo laborarent, an vero integri membrisq; essent solidis & compactis. Lustratis hoc modo parvulorum corporibus, sententiam ferebant, & distortos, mutilos aut male conformatos in locum voraginosum, qvem *Apothetas* nuncuparunt, prope Taygetum montem amandabant. Eandem licentiam ceteri Græci sibi quoqve permiserunt; per morum enim & legum injustitiam ipsis concessum fuit infantibus alimenta præbere vel exponere & vim mortemq; pro lubitu inferre. Inprimis vero Solon hunc morem tanquam reipubl. salubrem suis injunxit Athenienſibus, qvi eo astorgias qvoqve processisse perhibentur, ut integris membris etiam vel morti vel misericordiæ exposuerint. Id qvod comicorum apud illos

los palliatæ fabulæ, in qvibus mores Attici deſcribuntur, non obſcure, qvamvis joculariter, teſtatum reliqvere. Hiſpanos hujus ſævitiæ non immunes fuiſſe ex eorum annalibus conſtat. Æthiopes quoqve ex avium volatu ingenium & fortunam naſcentium æſtimare ſolitos, & ex tam futili re vitæ aut mortis eorum augurium cepiſſe, teſtantur hiſtorici. Ne quid dicam de nobili fœmina Æthiopica, cujus mentionem facit Heliodorus, quæ albam enixa filiam eandem expoſuit, ne ipſa ſemet adulterii ſuſpicioni exponeret. Parilis dementia Pſyllorum animos occœcavit, qvi qvoties conjugii fides ſuſpecta eſſet, infantes venenoſiſſimis ſerpentibus objiciebant, quod crederent ſpurios ab illis aſpero dente corripi, legitimos partus intactos illæſosq; relinqui. Nec de Indis dubium eſt, quin pari ſe contaminaverint ſcelere. Hinc Sophitis imperio in India ſubjectam gentem iisdem cum Spartanis hoc in

negotio uſam fuiſſe ſtatutis Curtius obſervat *b*) dicens, *genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntq;, ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitum cura mandata eſt; Si quos ſegnes aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent.* Germanos infantes ſuos judicio Rheni ſubjeciſſe, huncq; ſpurio ſanguine natos abſorpſiſſe; legitimos autem in manus genetricis ſubvexiſſe, Pancirollus tradit; licet hoc crimine Germanos ſuos abſolvere conetur Bernegg. ſuis in Tacitum quæſtionibus. *c*]

Theſ. III.

INfanticidia aliamq; in humanitatem in recens natos a Scandianis exercitatam, gentium illarum hiſtoriæ legesque vetuſtæ ignorant plane: quin imo examina ſuperfluæ multitudinis civium in exteras terras nullo non tempore emiſſa, ſuſpicionis

(b Curt. L. IX. C. I. c) Tac. Germ. Quæſt. 114.

nis neqve locum relinqvunt. Quod enim longe lateq; ſua circumtulerint arma, & vix orbis terrarum fuerit pars, cui Scandinaviæ Martis rumor non incuſſerit terrorem, id inde eſt, quod ſuperfluam civium multitudinem, quam primum reipublicæ oneri eſſe inciperet, per migrationes exoneraverint. Neq; alia in promptu erat ratio vitæ primitus ſuſtinendæ in illa corporum conjugiorumqve maxima fœcunditate, cœli ſoliqve adverſus culturam, non minus pertinaci rigore & ſterilitate. Si enim a viſcerum adultorum, puta majorennium ſanguine & cædibus abſtinere vellent parentes, illisqve, pro vita non minore ſæpe virtute imbutis, occaſionem præripere diræ in auctores retorquendæ impietatis, tuendæ vitæ incolumitatisq; ſumma ratio neceſſitatem plane impoſuiſſe videtur primis incolis, aut in tenella liberorum ætate inſtanti malo occurendi, aut adultos emancipatosq; eosdem per co-

lo-

lonias deducendi. Priorem modum cum magis inhumanum, & Tacito ſi qvæ fides, flagitioſum reputarent, alterum elegerunt: coloniasqve gentis ſuæ tot & tantas emiſerunt, quantas alio orbe egreſſas hiſtoricorum non facile qvisqvam evincere ſuſtinebit. Concludimus itaq; Scandianos, cum alia plane via indigentiæ & ſterilitati regionis ſuæ conſultum ivere, nullaque adeo cauſſa urgeat tantæ in liberos ſævitiæ ipſis affingendæ, dedecoris & infamiæ, quæ ceterarum gentium erit, penitus exſortes eſſe. Neqve enim exempla, ſi quæ rariora illuſtri loco poſita inveniantur, exercitæ hujus generis impietatis, honeſtæ gentis famæ plus derogabunt, quam ſtellis undeqvaque fulgentibus, facies ecclipſata exigui luminaris, cœlo caliginem inducet *a*). Poſterorum ſi quis parenn-

a) *Narrant de Gudmundo Glyſisvaldiæ Rege annnales Norvagici quod crudelitatis in filium tantos fuerit, ut ad necem*

rentes, perniciosa ex æmulatione, negligant alterũ illud & magis divinũ generationis officium, suæq; disciplinæ alumnis omnia concedendo atq; remittendo metuendis famæ & vitæ periculis eos dẽ exponant: *inquam*, qui denegata domesticis suis debita cura, plures fame homines, qvã canes & equorum catulos perire sinant, quantum ex ista laude majorum servatæ humanitatis decerpere possint, ipsi viderint.

Thes. IV.

PORro veterum monumenta evol-

cem exponeret: periißetque omnino quoque puer, nisi eundem invenißet Krokur *quidam & pro filio suo educaßet, conf. dißert. eruditiß. juvenis J.* Norlini *de Angermanniæ facie antiqua. Eandem fati legem quoque, nostro ævo, subiißet Holmiæ Gustavus* Erico *XIV. genitus regni hæres, in utrem inclusus & suburbano quocunque loco abjiciendus, nisi ex* Sparriorum *familia vir illustris vagientem carceribus ignotis puerum eripuißet satelliti, cui perimendi ministerium commißum fuerat & in peregrinas oras illico transmisißet.*

ventibus, duplicem expoſitionis rationem obtinuiſſe apparet. Fuit ille ritus nullius non gentis moribus ab origine receptus, ut non agnoſcerentur liberi, niſi pater eos recens natos de terra ſuis ſuſcepiſſet ulnis; alias pro rejectitiis habebantur. Tollere ſuum infantem ſi animus erat patri, præſentem ſe ſiſtebat, levationemq; faciebat infantis, ope atqve auxilio Levanæ Deæ, cui hoc negotium gentiles eſſe voluerunt ſacrum. Hinc originem ſuam habebat phraſis illa, *tollere liberos*. Si autem tolli, hoc eſt, educari aliq; pater nolebat, *vel* vivum infantem ejicere ſolebant, ut indigno ſpectaculo aliis miſericordiam & opem, quam denegarant parentes, elicerent; fiebatqve hæc expoſitio ab illis præcipue, qui mitioris ingenii non omnem humanitatis exuiſſe ſenſum volebant videri: *vel* ſtatim lucis uſura privabant, infeſtasq; manus innocentiæ & vitæ eorum inferebant, eos ex montium culminibus præci-

pi-

pitando, pronos, aut pedibus ori injectis ſuffocando; aut etiam avibus & canibus objiciendo, aquis deniqve ſubmergendo. Illa ad vitam, hæc ad mortem & necem, ſeu potius abjectio vulgo dicebatur. Qvibus humanior ille modus magis arridebat, liberos expoſuerunt non nudos, ſed una cum illis pretioſiſſima monumenta, utpote aurum, gemmas, annulos & quæ id genus ſunt alia, quibus dignoſci poſſent, ſi aliquando, fatis ita diſponentibus, in parentes iterum incidiſſent: ſin minus, ut ex illis, puta donariis, ſi ſuperſtitites eſſent, ad educationē, vel mortuis ad ſepulturā ſuppeterent impenſæ. De loco deniq: notamus eum præ aliis electum fuiſſe, ubi cōeantium hominum ultro citroq; turba freqvētior eſſet, dum ſperabant ex præterēnbus, agmine numeroſo, aliquē fore, qvi ductus ſenſu humanitatis fletuque, ad præſtandam parvulo miſericordiam moveretur. Qvod iterum attinet genus expoſitionis: etſi ipſa animalium rationis expertium exem-

pl.

pla, quæ nihil æqvè ardenter ac ſollicite a ſuo genere dimovere conantur, qvam qvæ ad deſtructionem pullorum tendunt, docere videantur, fieri vix poſſe, ut homo quis eo amentiæ & inſaniæ procedat, omnemqve in tantum ejiciat humanitatem, ut in ſui ipſius viſcera ſæviat fœtumqve ſuum ipſe perimat aut beſtiis dilaniandum objiciat, *inquam* ipſæ licet immanes feræ, ſolis ſenſuum ſtimulis excitatæ prolem humanam fovendo, pietatis & officii homines ad pudorem uſqve non raro commonefecerint *a*), ejusmodi immanitatem tamen apud animum hominis locum non inveniſſe ſolum, ſed etiam diutius duraſſe, conſtat. Ad cauſſam, quam ab initio adduximus tantæ atrocitatis, accedit, quod infantes ſuos, ſi quæ ſiniſtra ſors naſcendi eos dē in lucē eos iſſos urgeret, diis iratis procreatos

a) *Atalantam urſâ, Romulum lupâ, Habidem Tarteſiorum regem cervâ, Cyrum cane, alios aliis animantibus enutritos Ælianus, Juſtinus, Livius, aliiq; perhibent.*

tos esse, iisq; aliquando propitios fieri posse nullo modo crederent, qvamdiuista mala nascendi sorte premerentur. Ne qvid de metempsychoicos doctrina dicam, feræ consvetudini roboris haud parum tribuentis. Qujus intuitu perversæ & vulgatæ opinionis, bene sese de liberis mereri arbitrati fuere, si destructo debili corpusculo, animis eorum ad meliorem nascendi conditionem aditum aperirent. Exempla autem expositionis ad necem qvi desiderat, repetat modo, quæ Thes. II. attulimus, ubi diritatis Spartanorum ac aliorum etiam populorum facta mentio.

Thes. V.

DEniq; hujus subeundæ crudelitatis, non omnibus æqvalis imposita fuit necessitas. Masculorum & filiarum primigenitarum magis dextra nascendi sors erat. Qvi vero ab illis, qvorum intererat, & demum a parentibus judicabantur monstrosi, debiles

les aut deformitate insignes, adeo inhumanitatem hanc experiri coacti sunt, ut pœnæ quoque obligati fuerint parentes, si invitis legibus conservare & educare sustinerent. Sic Romuli legem novimus fuisse, portentosos liberos omnes exstingvendos esse. Aristoteles idem fere asserit, qvamvis speciem aliquam æqvi præ se ferre videatur: *De expositione & alimento nascentium erit lex, neminem mancum & mutilum esse nutriendum.* Qvemadmodum istiusmodi Romano truculentiam Juvenalis non præter rem exagitat, canens:

Transeo suppositos & gaudia votaq; sæpe,
Ad spurcos decepta lacus - -
Cui jungas Ovid. *Ep.* 11.

Scilicet habuit pars maxima gentilium rationem præcipue corporis, ex cujus pulchritudine ac vigore hominem qvoq; æstimabant, nescientes, qvod identidem contingat, ut cui corporis dignitas & pulchritudo deest, is animo valeat, & plus sæpe, quam altera illa prærogativa gaudentes,

tes, commodi utilitatisq; ſocietati humanæ, ſi fata ſinant, afferre poſſit. Diximus mutilos & vitio qvocunqve corporis notatos, ante alios, expoſitos & neci datos fuiſſe. Sed non illis ſolis hæc ſiniſtra ſors propria fuit. Sæpe enim integri quoq; , ſi numeroſior eſſet familiæ ſoboles , qvam cui ſuſtentandæ civitas ſubſtantiaqve parentum ſufficeret , ad necem expoſiti fuere. Sed ita tamen ut ſemper fere maſculorum quam fœmellarum æqua magis eſſet conditio. Easdem enim, ceu peculium incommodum & moleſtum , prætextu imbecillioris ad opus faciendum indolis atq; virium , imo curarum & damnorum metu, quæ in cuſtodienda pudicitia filiæ, eadem elocanda & dotanda, habituri eſſent parentes , præ fœtura virili aſſiduo exponebant. Ne qvid de aliis cauſſis dicam , quæ de cetero Principes civesque ad idem nefas perpetrandum perſæpe ſollicitaverunt. In ceteris, *morum corruptioni* , ſi qvæ inveterata diu in pa-

rentibus emineret, hac ratione obviam itum, *Auguſti* imperatoris exemplo & edicto evidens eſt. Illum enim domeſticam infamiam, ne in poſteros transfunderetur, hac ratione ſublatum iviſſe, infantemq; a Julia nepte natum tolli educariq; vetaſſe, Svetonius teſtis eſt *a*]. Qvid? qvod in *Jolemni luctu* liberos recens natos non raro qvoq;, una cum laribꝰ aliisq; rebꝰ ſacris in publicum abjecerunt *b*). Deteſtabile conſultum animi illud quidem & cum Bethlehemitica laniena facile comparandum omnibus, qui ex conſcientiæ & humanitatis lege convictiſumus, non in alios plus nobis licere, qvam ipſis in nos viciſſim conceſſum velimus. At poſtquam enormibus flagitiis vulgatum illud obtendi cœptum: *Sic ſeculum eſt*: veritatem e puteo effodere adeo non proclive fuit. Infanticidii malo nihil mali, nihil atrocitatis ineſſe exiſtimatum, perinde atq; adultorum hominum cruentis muneribus, qvibus

a) *Sveton. Auguſt. Cap. 65 u.*
b) *Sveton. Calig. Cap. 5.*

bus defunctorum animabus parentum, & Deos Manes impie propitiatum ivere veteres, Numini non gratiorem odorem alium libari posse penitus sibi persvasum habuerunt. Utinam non notabili cum crudelitate necem hanc omnino quoque exerceri passi fuissent. Ex Patribus *Tertullianus* certe non simpliciter læsæ, sed cum cruciatu violatæ hujus generis humanitatis noxam, gentibus impingit. Cum enim Christianos hi postulassent infanticidii reos in sacris commissi, illorum peccatum, si cujus convinci possent, religionis errore commissum ait, cum gentiles non diis, sed suopte arbitrio, frigore & nuditate modo, modo etiam fame aut bestiarum laniatu, aut longiore in aquis morte, non infantes solum sed sæpe etiã mancipia ægra & affecta asperius necarent *). Ut alia taceamus sævitiæ instrumenta, qvibꝰ imbecillum animum dire torserint, & ex dulcissimo naturæ domicilio multo ante diem discedere coëgerint. Athenienſium illum morem fuisse, cum primis circa fœ-

*) *Sveton. Claud. C. 25.*

mellas ſervatum, haud obſcure fabulæ docent Comicorum. Idem nefas qvoque obtinuiſſe aliarum moribus gentium, exempla oppido plura demonſtrant, quibus adducendis brevitati ſtudentes abſtinemus, præſertim, cum qvorundam eorum, uti jam ante dictum, paragrapho ſecunda hujus partis meminerimus.

Theſ. VI.

TAndem de ritu expoſitionis, qvando apud Romanos deſierit, ſi qværatur, certo id non conſtare exiſtimamus, deditq; incertum illius rei duobus Juris C:tis Batavis, van Nodtio & Bynckershockio hodienum ſuperſtitibus, occaſionem, inter ſe invicem diſſentiendi & publicis ſcriptis contendendi, qvando & a qvibus imperatoribus abrogata fuerit. Verum iſtam controverſiam ſummos inter J. Ctos acriore animi contentione, ſed non ſine temperamento lenitatis tamen agitatam, aliis decidendam relin-

qvi-

qvimus. De Romulo qvidem conſtat, qvamvis patrio more una cum fratre ipſe abjectus eſſet, expoſitionẽ demum prohibuiſſe non ſolum, ſed etiam per omnem modum coêrcuiſſe. Factum tamen ab eo hoc ipſum ſine dubio ex *ratione ſtatus* credimus, ne hac licentia privatis conceſſa penitus, reſpublica noviter inſtituta civium paucitate laborare inciperet; cum ſeqvioribus temporibus, ubi jam civium penuria non ulla amplius metuenda erat, morem iſtum apud Romanos iterum recruduiſſe conſtet. Id qvod gemino exemplo imperatorum Romanorum paullo ante probavimus. Neq; ſub paganis imperatoribus tantum perduravit hæcce impietas, verum, qvod magis mireris, ſub Chriſtianis qvoq;. Nempe, ut ait ille, deſinit eſſe remedio locus, ubi qvæ fuerunt vitia, mores fiunt. Lactantius certe in ſuis ad *Conſtantinum* divinis inſtitutionibus, rebus, qvæ moribus hominum pro licitis

ſua

ſua ætate haberentur, accenſet eorum qvoq; ſcelus, qvi recens natos vel obliderent vel exponerent. Neqve enim auſus fuit imperator piiſſimus inveterato malo, ſancita pœna aliqva publica, pro merito occurrere; ſed ſatis habens cauſſam atqve occaſionem ejus qvalitercunq; ſublatam iviſſe, ſanguinolentorum infantum venditionem, victus cauſſa, permiſit. Aſt qvod nefas avertendo majori malo, directe non auſus aggredi imperator Conſtantinus, *Valentinianus*, *Valens* & *Gratianus* imperatores palam prohibuere, lege publice promulgata, ſupplicii reum fore non illum ſolum, qvi exponere ſuſtinuiſſet, ſed omnes, qvi aliena miſericordia ad robur perductum filium aut filiam, qvam pereuntem contemſerat, ſibi viciſſim vindicare aggrederetur. Imo horum qvoq; conſtitutionibus ſancitum invenimus, illum extraordinaria pœna plectendum, qvi ad evitandum onus alimentandi aut qvamcunq; infamiam, alie-

næ miſericordiæ, celebri loco prolem exponeret. Quisqvis autem in flumen, in ſilvam inve aliam qvamcunq; ſolitudinem, aqvis, frigore, fame aut ferarum laniatu conſumendum abjiceret, qvia necis conſilium habuit, in eum lege *Cornelia* de ſicariis aut *Pompeja* de parricidis animadverſum fuiſſe legimus.

Theſ. VII.

COlophonem capiti huic impoſituri, in anteceſſum diſqvirendum eſt, utrum alicubi gentium utrunq; expoſitionis genus, an vero alterum tantum uſu hodienum veniat? qvod ad illam in prolem ſæviendi ſpeciem attinet, qvæ ad necem fieri dicitur, apud qvasdam hodie adhuc obtinere extra controverſiam poſitum arbitror. Japponenſes enim modernos, fœtus ſuos recens natos ex Bontziorum ſuorum, hoc eſt ſacerdotum, qvos ita appellant, conſilio, inprimis ſi alendi tædio inopiave fuerint impulſi, cru-

crudeliter admodum tractare, teneræq; gulæ injecto pede ſuffocare, rerum Japponenſium ſcriptores referunt. Apud Chinenſes itidem frequens eſſe, ut impune parentes pauperes, præcipue decrepitos, gentium ſeptentrionalium more multo ante antiqvato, item infantes, fœmellas præcipue, necent, ex hiſtoriis colligimus. De altero expoſitionis genere, an publice gentis alicujus moribus, ſi a modo nominatis aliisq; barbaris gentibus diſceſſerimus, adhuc in uſu ſit, non perinde liqvet, qvam obrem ea de re neq; certi qvidqvam ſtatuendum habemus. Ne veteris illius tamen tempora noſtra plane ignara ſint, admodum vereor. Inprimis ſi conſideraverimus, qvam in magnis urbibus ab impudicis fœminis ad vitandam nominis infamiam, fœtus furtivo concubitu concepti, in cœmiteriis aliisq; locis publicis crebro exponi ſoleant, ut a prætereuntibus conſpicientur, & illorum potius, qvam eorum, qvorum intereſt

eſt miſericordia, conſerventur. Infanticidia ſtudio & deſtinata animi malitia patrata ſæpiſſime etiam adhuc audire cogimur. Teſtanturqve theatra ſuppliciorum in pœnam & ignominiam eorum paſſim proſtantia, qvi nefario ſcelere ſocietatem hominum civiumq; violarunt. Qvemadmodum eundem exſecrandum ævi morem epigrammate non invenuſto expreſſit Poëta gentis noſtræ *Anonymus*, infantis ſine dubio expoſititii funeri dicato: qvod qvia non perinde omnibus notum forte, hic apponere non inconveniens duxi:

Cui dat mollis amor jucundo crimine vitam,
Hunc necat immani crimine durus honor,
Parve puer, de ſorte tua duo nempe tyranni
Diſponunt, primam dum peris ante diem.
Ah! amor invito te vivere fecit honore,
Teq; honor invito fecit amore mori.

CAPUT

CAPUT TERTIUM
POLITICUM.
Seu de facti Moralitate.

Thes. I. *Parentum jus ad necem infantum se non extendit.*

II. *Profanam Hobbesii sententiam profert.*

III. *Negat Rectoribus civitatum potestas illa absolute competit.*

IV. *Si luxuriare incipiat civitas nimia hominum multitudine, deficientibus vitæ sustentandæ instrumentis, quid faciendum?*

V. *Legum matrimonialium & officii sui accuratam si rectores civitatum haberent rationem, ista incommoda non facile haberent metuenda.*

VI. *De exposititiorum liberorum educatione, cui* intra *& cui* extra *civitatem competat, disserit.*

VII. *De præcipuis exposititiis prospiciendi modis apud Europæos cultiores, paucis loquitur.*

VIII. *Qualis susceptori potestas in adultam exposititiam prolem*

IX. *Finem dissertationi imponit.*

PEr generationem *primam* atq; *ſecundam*, puta vitæ naturalis & civilis juſtam propagationem, ex inſtituto & voluntate Divina, quoddam naturale parentum in liberos imperium conſtitui, cui reverentia alterius partis, & ſtudium juſſis paternis obſeqvendi, reſpondeat, ex ſolidis philoſophiæ *Civilis* principiis probant doctores hodierni: gentilibus moratioribus non diſſentientibus, quibus item obſervatum fuiſſe legimus, quia genuiſſent liberos, ideo parentum ſuorum juſſis qvoq; obedientes eſſe debere: *Pater ſum*, verba ſunt ad filium Theopompi, *ideo a te mihi debetur honor & obſeqvium.* Illud vero imperium, ab educatione, utpote fine, menſuram capere, adeoq; non majorem poteſtatem concedere, qvam qvæ proli educandæ ſufficiat, per ſe patet. Unde etiam in caſu delicti, non niſi ad modicam caſtigationem, qvæ fit emendationis cauſa, pœnæq;

proprie ſic dictæ rationem nullo modo habere poteſt, ſe extendit. Sunt qvi exiſtiment, ultimum ad qvod deſcendere parens poteſt, animadverſionis genus eſſe *exhæredationem*, puta, ubi pluribus præmiſſis cohortationibus, coërcitionibusque apud filium nihil proficere poterit: verum cum in illa ætate, qua diſciplinæ domeſticæ ſubſtent, & ex eadem [puta diſciplina) ſpes emendationis aliqva ſupereſt, digna tam atrocis excomunicationis fulmine perpetrare vix poſſunt liberi: referendum potius illud quoq; ſupplicii genus ad reliquias illas, qvas, translato in civilem Magiſtratum imperio domeſtico, patres domi ſuæ retinuerunt. Ex hiſce vero arctioribus patriæ poteſtatis limitibus poſitis & rite obſervatis, liqvido apparet, ſalva æqvalitate naturali, parentibus in liberos neutiqvam competere jus ad vitam & necem. Capitis enim alieni arbitrium ſibi mortalium nemo, qvamvis ſuperior, arrogare poteſt, niſi ex præ-

ce-

cedente delicto tanto & tam atroci, ut nisi morte aboleatur penitus ipse patrator, societatis incolumitati & securitati, non perinde consultum habeatur. Tantæ vero æstimationis privilegium, cum capiti humani tributum viderimus, ut neq; ex delicto qvocunq; ille, qvi cum imperio est, sibi auctoritatem in subditos pro lubitu vindicare possit, qvis non videt irrito & ingrato labore contendere omnes eos, qvi in sobolem humanitatis consortem & nullius delicti adhuc capacem, vitæ & necis arbitrium parentibus, ceu justum & æqvum naturaliter asserere satagunt? Quis non videt veterum morem liberos exponendi, non ingenerato parentibus affectui modo vim inferre, sed & jurium humanitatis communionem tollere, auctoremq; tantæ impietatis homicidii dolosi, jure meritoq; insimulare.

Thes. II.

PAtrocinium flagitioso mori Hobbesius, profanus in multis *moralitatis*

tis interpres, parentibus jus vitæ & necis in liberos tribuendo, conciliare conatur. Statuit ille in opere, qvod *Leviathan* inſcribitur, originarie, naturali jure, integrum matri eſſe infantem natum, utrum exponi velit ſuo arbitratu, an vero educare. In opere etiam Politico, *de cive*, *a*) ubi iidem ſparſim reperiuntur floſculi: *Manifeſtum eſſe*, inqvit, *eum, qui modo naſcitur, prius eſſe in poteſtate matris, quam cujusquam alterius, ita ut illum, vel educare vel NB. exponere ſuo arbitrio &* jure *poſſit*; qvaſi facultas occidendi phyſica *Moralem* exercendi inhumani actus poteſtatem illico conferret. qvaſi fonticulos illos turgidos & lacteo liqvore vel ſuapte manantes iisdem puerperis in vanum tribuiſſet natura. Imo ſi vel illam non haberent matres alimoniæ officinam, tenerrimo affectu tamen, & deniq; lege ſocialitatis, ad idem ſuis liberis præſtandum, quod ſibi parentes ſui, imo bruta ſuis catulis ſollicite præſtant, ſe obligatos ſentire deberent. Hob-

a) *Hobbeſ. de cive C. 9. § 2.*

Hobbeſio vero, temere adeo philoſophanti, vereor ne idem omnino acciderit, quod non raro aliis quoq; contingere ſolet, qvibus ſuo nimium ingenio velificare, ac paradoxis opinionum monſtris inhærere moris eſt, nempe ut proprio ſe gladio identidem jugulare ſoleant. Agnoſcit enim ipſe alio loco, hominem per naturam eſſe in *ſtatu libertatis*; quod ſi verum, plane neſcio, qvomodo conditio ſervilis ne dicam animelis eundē recens natum ſtatim excipiat. Si infans ſtatim a nativitate hoſtili matris imperio ſubjectus eſt, ita ut poſſit illa prolubitu eundem necare & exponere, qvēadmodum ſupra aſſeruit, neceſſe eſt tolli omnem *connatæ libertatis* ſtatum, atq; everti, cum nemo ſit, qui non aliqua matre genitus ſit. quæ qvomodo conciliari qveant, Hobbeſius ipſe viderit.

Theſ. III.

DEtracto in priori paragrapho parentibus, vitæ necis arbitrio in filios,

os, annon illis, qui faſtigia rerum humanarum obtinent, h. e. legitimis principibus & imperatoribus civitatum, vi ſummi imperii, poteſtas parvulos pro arbitrio trucidandi ac necandi, competat, porro quæritur? Pharaonis & Herodis exempla ex ſacra hiſtoria notiſſima, dum mente recolimus, uſurpatam principibus tyrannicam poteſtatem iſtam non dubitabit qvisqvam. Aſt cum ea ſit indoles & ſcopus philoſophiæ *Moralis paradigmaticæ*, ut malorum actionum fugam non minus ſollicite inculcet, qvam bonorum imitationem, inter fugienda certe hoc utrumq; exemplum, qvamvis regia munitum auctoritate, referimus. Competit, non negamus, imperanti qvidem in ſubditos jus vitæ & necis, cum *indirecte*, ad civitatem ab invaſione hoſtium defendendam, aut ejus aliqvod jus vindicandum: tum *directe*, per modum pœnæ, ob atrocia delicta ac ſcelera. Sed neutro modo hoc jus in infantes exercere poteſt

eſt princeps, utpote, qvorum opera adverſus hoſtes uti nequit, qviq; ob ignorantiam juris & enormium ſcelerum in iſta ætate incapacitatem, non publicæ nedum mortis ſupplicio obnoxii ſunt. Et proinde, ſi innoxiæ vitæ extinguendæ arbitrium rex ſibi ſumeret, graviſſime in humanitatem ac ſocialitatem, inprimis autem ſupremi muneris ſui ſanctitatem, peccaret. Ante omnia enim eundem conſiderare oportet, qvemadmodum ante alios in eminenti faſtigio conſtitutus eſt, ita majorem ſibi quoq; adhibendam eſſe curam, ut honeſte ſuos gubernare poſſit cives, & eorum commoda ac ſalutem promovere: neminiq;, ſive ætate tenera ſit, ſive adulta, ſive pauper ac contemtus jaceat, ſive excelſo loco emineat, noxam immerenti inferendam eſſe; qvem principatus Politici finem qvoq; reſpexiſſe videntur noſtri Imperii leges fundamentales, ejusmodi regiminis & morum temperamentum Regi præſcribentes

b): Att han ſkall trygger och trogen wara allom Almoga ſinom, ſwå att han ſkall engin fattigan eller rikan förderfwa å lif eller limi: uthan han ſer laghlika forwunnin och dömder effter Sweriks ſkrifnom lagom. Inde vero patet qvam maximè, poteſtatem in vitam civium, nedum infantum, pro lubitu ſibi principes neqvaqvam arrogare poſſe.

Theſ. IV.

NOn me fugit Politicorum non paucos forte plurima, quæ adverſus hoc aſſertum regerant, in promtu habere. Licet enim ex principiis *moralibus* impium & tyrannicum habeatur *privatim*, ſi qvis principum aut regum arbitrium ſibi vindicaverit abolendæ pro lubitu tenellæ & innoxiæ ætatis: tamen cum otioſum ſit atq; abſurdum, negotia regni ad privatas rationes metiri velle: eaq; non raro reipublicæ perturbatio inci-

b) K. B. LL. *cap.* IV. §. 3. *art.* 3. *Regerings form.* 1720. §. 6.

cidere poſſit, ut hac duriore conditione faſtidita, univerſæ civitatis ſalus in diſcrimen ineluctabile trahatur: Illud qvidqvid conſilii, in ſupremo neceſſitatis caſu, ſumma ratio ſuggeſſerit, tantum abeſt ut ab honeſtate deflectat, qvamvis in vulgus imo & a nonnullis doctrina eminentibus exiſtimetur abire, ut exemplo illuſtri hocce indoles & vis, & qvorſum referri debeat honeſtas, niſi generoſæ ſtultitiæ nomine d rideri velit, manifeſtum evadat quam maxime. c) *Stare debemus*, Ciceronis judicio, *tanquam in orbe reipublicæ, qui, quoniam verſatur, eam deligere oportet partem, ad quam nos illius utilitas ſalusque converterit.* In difficili puerperio periculoſe invicem conflictante & matris & prolis ſalute, infantem ſalva

c) *Non ad damnoſiſſimum hominibus in præſentiſſimis periculis, pudorem confugietis. Multi ſiquidem ſcientes videntesq., nomine illo ſpecioſo turpitudinis ſe vinci paſſi, re ipſa in extremas calamitates præcipitarunt. Thucydides de bello Peloponn. Lib. V.*

honeſtate jugulari poſſe ad eripiendam mortis articulo incolumem parentem, omnes conſentiunt. Illud ſi in æquali & pari periculo licitum & honeſtum fuerit, qvid ni ad redimendam incolumitatis majorem neceſſitatem, minori malo defungi licitum habeatur: puta, ſi in eam neceſſitatem longa annonæ ſævitia adducta fuerit reſpublica, ut alimenta promiſcue omnibus ſufficere nullo modo poſſit? ad declinandas ſeditiones, quales Romæ olim invaluiſſe periculoſiſſimas, arctiore annona, notiſſimo notius eſt; ad vitandam publici & privati rapinam & quæ inde oriri ſolent, mutuas cædes, in ſumma: ne pars ſincera adultaque civium robora cum infirmioribus, dira fame, in Libitinæ rationes transeant, an non obliquatis, quod dicitur, velis & revocata aliquamdiu vetere infantum expoſitione, graſſanti malo obviam ire ſatius eſt, qvam ſervato periculoſe tenore ordinario, naufragii & παρολεθρίας diſcrimini ci-

civitatem penitus ſubjicere? Speciosa illa qvidem, verum ad detergendum inhumanæ crudelitatis turpitudinem *expoſitioni veterum*, oppido infirma. Non negaverim frequenti & facili aliorum abuſu, aliorum vero fallacibus judiciis, ſub prætextu religionis, præſertim revelatæ d) turpitudinis inſimulari multos actus civiles, qui ad vitæ ſocialis ſtateram, & ſacram anchoram, puta *publicam ſalutem* relati, vitiorum cenſu ſe per omnia eximunt, id qvod optimorum

d) *Religionis capita non eſſe contraria rationi, monet illud Suethicum in argumento non diſſimili ingenioſum effatum*: Så wäl ſom *Politien* och *religion* ſkicka ſig tilſamman, ſå illa kunna the ock blifwa åtſkilde från hwar annan. Warandes then förre alt förſlug och inbunden at altid wara from: och then ſenare alt för enfaldig, at wara nånſin falſk. Derföre lära nögre få gran af ormſens klokhet bemängd med dufwans uprichtighet wara för en hwar et förträffeligit *recept* uti alle ſine handlingar.

quoq́; Divini *e*) humaniq́; juris interpretum testimoniis confirmari posset, si schema illud paradoxon doctrinæ civilis excutere præsentis instituti ratio ferret. Qvod ad præsentem casum, ubi de *moralitate* expositionis quæritur, attinet, ut gravissimo sceleri fauorem necessitatis prætexamus, nulla nos certe necessitas cogit. Multarum qvippe rerumpubl. exempla ostendunt, identidem alias vias, alia remedia, nimium accrescente civium multitudine, auspicato adhibita fuisse, quibus ne ad insitas redigeretur universorum salus, ma-

e) *Consentientem in illam sententiam vide venerabilem pietate & eruditione sacror. antistitem Isogæum nostratem, libro, qui inscribitur Karla* Segerskiöld, *Part.* 1. *C.* 3. §. 9. Ty gifwer naturen med, at man thet mindre onda undergår, til at afwärja thet större är = = några Länders och Städers förödelse för hela jordenes öde, några menniskiors död, för alla menniskiors undergång. ꝛc.

magis feliciter prospexerunt. Sic Gothos veteres, sicubi malo ejusmodi laborarent, neutiqvam inhumano isto medicamine usos constat, sed in exteras longeq; a patriæ solo remotas terras superfluam juventutem misisse. Et qvanqvam non negem, tum maxime injustis bellis alios populos ab illis sæpe lacessitos, istudq; minime probem, cum occupando regiones a nemine antea possessas, indigentiæ suæ potuissent consulere; majorum exemplo, qvi Regis *Sigtrugi* tempore, ex consilio *Disæ* callidissimo hanc eandem tuendæ vitæ incolumitatisq; rationem, non invita fortuna, amplexi sunt, cum illo regnante principe, cetera domi annonæ sublevandæ media clausa essent penitus: ipse tamen modus consulendi vitæ, qvod per coloniarū potius deductiones, qvam infantum necem, rem publicam ni via civium mole levaverint, non plane vid tur illaudabilis. Ne qvid de Tyriis & ceteris gentibus dicam, quæ sæpius ad-

eun-

eundo terras ceteris incognitas, ſedes juventuti, qva abundabant, elegere. Quod qvo minus & hodie adhuc, ſi opus ſit, fieri qveat, non video qvid obſtet, cum certum ſit, etiam nunc terras incultas & coloniis vacuas, paſſim reperiri. Quid? qvod alii qvoque expediendæ incolumitatis modi præſto ſunt, ſicubi respublica nimia forte civium multitudine laboraverit. Cupido proferendæ gloriæ & imperii poſtqvam alias gentes ad inſultandum temere alienæ innocentiæ, alias viciſſim in juſtam ſui defenſionem excitavit, quantum non obſonii & ſtipendii militaris, multitudini ſuperfluæ hominum, plerumque ad fati diem, hac illac, proſpicere ſolet? Igitur juſto bello, ſi ab aliis gentibus ſe conduci patiatur turba domi inutilis, non ipſa ſibi ſolum vitæ neceſſaria ſufficiet, ſed una ſecum reliquorum, qvi domi ſunt civium incolumitati qvoq;, præcipue tenellorum vitæ pulcherrime providebit: Helvetiorum more, qvorum

in

in Gallicana militia frequentia nomina & virtus præclara eſſe ſolet. Imo de Gallis ipſis quoq; conſtat, eorum non ſpernendam partem in Hiſpania agris colendis operam dare, aliaq; graviora opera ruſtica, quæ Hiſpanico cum faſtu & ſupercilio ægre conveniunt, exercere. Et qvid ni hac ipſa aut parili ratione potius, qvam recentis humani fœtus abolitione, in caſu famis & inediæ, reipublicæ ſuæ indigentiæ mederi poterint imperantes?

Theſ. V.

EX modo adductis facile apparet, plures ſuppetere rationes ſubveniendæ reipubl. ubi hominum multitudine nimia gravari & affligi incipit. Reſtat unum adhuc remedium, idq; meo judicio qvidem optimum & convenientiſſimum, afferam. Conſiſtit autem illud, ut verbo me expediam, in accurata ac prudenti, ad utilitatem & pulchritudinem civitatis *le-*

gum

gum matrimonialium ſanctione & cuſtodia. Eam poteſtatem ad ſummum pertinere imperium, dubio tanto magis caret, qvanto certius eſt, ex eadem juſte & prudenter exercita, non minimum felicitatis civilis momentum pendere. Quemadmodum itaq; imperantes, ſi viderint fœdera connubialia, variorum obtentu prætextuum, nimium faſtidiri, idemqve propoſitum in detrimentum civitatis tendere, conſtitutis præmiis & pœnis poſſunt injungere civibus, ut frequentiora ineant matrimonia, ne viribus juſtoque robore & munimento ſuo defraudetur civitas, cujus ſeminarium ſocietas conjugalis eſt: per ſobolis procreationem id efficiens, ne facile intereat, ſed immortale quaſi reddatur genus humanum. Ita civibus luxuriante republ. tales leges revocare, ſi quæ latæ ſint, aut deniq; novas condere, qvibus promiſcua inhibeantur matrimonia, qvo minus poſſit, non video qvid impediat. Prioris generis leges, hiſtoriæ

Rom.

Rom. ſcriptores multas recenſent. Inprimis notabilis lex eſt Auguſti Imperatoris *a*) *de maritandis ordinibus & uxorio* ab ipſis ſolvendo, qvi coelibem vitâ ſeqverentur; qvippe quâ lege, ne ſua dominando libido, & truculenta imperii initia poſteritati fraudi eſſent princeps ille callide proſpexit. Neque ullum eſt dubium, quin, ſi progreſſu temporis vidiſſet uſu carere eandem plane, & excreſcentem nimis civium molem oneroſam eſſe periculoſamq; civitati, qvin inquam, eandem retractaſſet, novamque priori plane contrariam promulgaturus fuiſſet. Neque minus frequentia ad ſunt exempla legū Roman. aliarū qvoq; *b*), Germanicarum *c*), Sveo-Danicarum *d*) aliarumque gentium, pro libertate ineundi matrimonii, modo tributum

a) *Sveton. Aug.* *b*) *Sveton. Calig. 40.*

c) *Schottelius de antiqvis & ſingularibus Germaniæ juribus, Cap. I. 35, 36.*

d) *Ex Johanne Magno, Greg. Tholaſanus de republ. IV. 17. Danicæ Margarethæ R. ejusmodi tributi auctoritatem tribuit.*

tum exigentium, modo Cenſorum Præfectorumq; dijudicationi permittentium, in quantum matrimoniorum poteſtas facta provincialibus, uſui an vero oneri reipubl. fore videri poſſet. Illæ quæ ſanctiones ad decus & ſalutem publicam attemperatæ, licet favorem matrimoniorum minuant atq; reſtringant non nihil, obligationem matrimonii naturalem penitus evertere, minime tamen cenſendæ ſunt. Sententia & Zelo Clericorum Papizantium (coelibatum opere ipſi quamvis ſequantur) quantum valeat favor matrimonii, non adverſus naturæ modo, ſed & ſcripturæ *) leges, non mihi ne dum aliis ignotum eſſe poteſt. Qvidqvid ſit, ad legem Auguſti, cujus modo mentionem fecimus, ex nuperrimis *commentatoribus* quidam inſtituto non malo dixiſſe videtur: *Hoc noſtro tempore, quo in ipſo pubertatis diluculo, etjam ſine præmio pueri & puellæ ad multiplicandum matrimonio genus ſuum proruere*

*) *Epheſ. V. 28. 1 Timoth. V. 8.*

re ſolent, adeo non lex iſta neceſſaria, ut lege & præmiis diſſvadendi potius, ne rei uxoriæ prius ſe dedant, quam ſuſtinendæ familiæ prudentiam, adeoq; ea ſibi inſtrumenta comparaverint, ſine quibus liberorum mendicabulo replebitur civitas; quæ ubi adoleverint, ſuis flagitiis & malis moribus identidem efficere ſolent, ut quo numeroſior exſtiterit illa turba, eo magis imminui pars melior Civium & ad famem demum mendicitatemq; extenuari incipiat. Ne vero noſtro in judicando exili ingenio plus juſtô tribuiſſe videamur, colophonio ſuffragio veteris Theologi ejusdemq; Chriſtianæ veritatis aſſertoris acerrimi diſcurſum hunc omnem finiam. *At*, inquit ille, *parricidæ (parentes) facultatum anguſtias conqueruntur, nec ſe pluribus liberis ſufficere poſſe prætendunt. quaſi vero aut facultates ſint in poteſtate poſſidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes & ex pauperibus divites faciat, cum aliis modis, tum inprimis ſteritilitatem unius anni alterius fertilitate compenſando. Quare ſi quis liberos ob pauperiem non*

po-

poterit educare, ſatius eſt, ut ſe ab uxoris congreſſione contineat, quam ſceleratis manibus opera Dei corrumpat b).

Theſ. VI.

SI contingeret expoſitio extra rempublicam, ad cujus tum curam pertineat officium expoſitum tollendi educandique, porro diſquiritur. In ſtatu naturali, præſertim Hobbeſiano, ubi nullæ niſi pacto conſtitutæ obligationes inveniuntur, nemimini *perfectam* incumbere miſeros alendi vel exinde conſtat, quod in æquali omnium obligatione ad præſtanda mutua commoda, privilegio non ullo quisqvam ſe ſubducere poſſit præſtationis moleſtiæ, nedum imperio aut vi ſtatui iſti attemperata, ceterorum alicui invito imponere, eadem, cum ceteris æqualibus, *independentiæ* immunitate a natura donato. Imo hujus intuitu æqualis naturæ legis factum quoq; exiſtimaverim,

b) Lactant. de vero cultu Lib. VI. 20. §. 25.

rim, ut in civitate neq; certa pœna ab omnibus promiſcue exigatur, qui in prolem expoſititiam inciderint, eandemq; ſiccis oculis adſpexerint & præterierint. qvemadmodum pœnam ejusmodi ab antiſtitibus Judæorum neq; ſacerdoti & Levitæ irrogatam legimus, quos non diſſimilis irreligioſitatis in ſacra hiſtoria inſimulari vulgo notum eſt. *Imperfectam* igitur obligationem in ſtatu extracivili tantum admittimus, eamq; æſtimandam ex ejusdē imbecillitatis, cujus omnes conſortes ſumus, ſtatu, cuiq; niſi collatis in medium utilitatibus, ad præſcriptum Numinis, ſubvenire mutuo adlaboraverimus, fatiſcet illico nexus ſocietatis & decollabit brevi ſpes vitæ incolumitatisque humanæ conſervandæ. Compunctiones, quas cum dolore perſenti ſcimus animo, quoties affligi videmus humanitatem noſtri conſimilium, prout vim & neceſſitatem officii hujus ſollicite inculcant, ita profligatæ apud animum omnis humanitatis il-

ilum poſtulant, qui neglectis ſtimulis iſtis, nullam cum poſſit, humanitati opem fert, conqverentemque de aliena impietate, conſortem naturæ prolem, ad inſtar catulorum perire patitur. Interim vel unico hoc exemplo ex ſtatus naturalis incommodo, quanta ſtatus civilis neceſſitas ſit, ad liquidum, quod ſpero, perducitur. Qvippe cum extra civitatem ex dubia privatorum liberalitate & libertate miſera expoſitorum vita pendeat, conſtituto imperio *civili*, ſummo Imperanti hanc curam incumbere obligatione perfecta, non facile qvisquam negaverit. Qvemadmodum enim principi, vi majeſtatis & jurisdictionis eminentis pœnæ pecuniariæ (Saf-dre) tanqvam commodum applicantur: ita horum infantum alimentatio & educatio quoque, tanquam incommodum ſupremi muneris, ad eundem pertinebunt. Quid? quod eo præcipue fine, faſtigio tanto eminere principem, tantisque viribus inſtructum voluere cives, ut e ſpecula qva-

ſi laborantem, quacunque ex parte civitatis incolumitatem præſenti opera ſua adjuvet adſpiciatqve. Id quod ſine ſuo excideret præclarum inſtitutum, ſi ad infantum intra pomœria natorum & *conſenſu præſumto* jam antecivium, imeritam afflictionem oculis conniveret, ipſisque cum poſſet, imperii ſui opem auxiliumque ſubtraheret.

Theſ. VII.

SEquitur ulterius deſpiciendum, quo pacto imperantes inprimis Europæi, ratione habita muneris ſui cum perfecti, tum qvoqve imperfecti, miſeriæ tenellorum, alieno ſcelere de vita periclitantium, proſpectum iverint. Ubi ſtatim apparet, nobis non de omnibus illis viis atqve modis, quibus *privatim* infantibus ejusmodi auxilium ferri poſſit, ſed præcipuis, nec aliis, qvam quæ in Chriſtianis civitatibus auctoritate publica uſu venere, ſermonem eſſe. Illorum ex ordine modo-

dorum, quæ curæ ſuæ providentiæqve publicæ monumenta ſtatuere pii Principes, brephotrophia ac ptochocomia præcipuo loco eminent; qva gemina notione, ejusmodi domus ac pia contubernia deſignari ſolent, ubi publicis ſumtib9 aluntur pupilli, eorum quorum intereſt, cura deſtituti, infantes & pauperes per ætatis ſortisq; iniqvitatem eo calamitatis delapſi, ut de neceſſitatibus vitæ ipſi ſibi proſpicere neqveant: qvæ vero inter brephotrophium & orphanotrophium intercedat differentia, nemini notum non eſt. Notandum autem vocem brephotrophii aliam, qvam, qvæ olim, hodie obtinere acceptionem. Eo enim nomine antiquitus appellabatur receptaculum ſolis expoſitiis educandis dicatum; & rurſus orphanotrophii notione veniebat locus, ubi pupilli & infantes, per mortem parentum cura alimentationis & educationis expertes, enutriebantur: hodie vero multarum ex inſtituto civitatū, præcipue noſtri imperii, eodem loco

ha-

haberi, eundemq; utriusq; usum esse, omnes norunt. De tempore, qvo hæc publica afflictæ humanitatis contubernia primum iniri cœperunt, certi quid nihil statuendum habeo. Durante paganismo an usu venerint, dubitare nos certe jubet non *expositionis* impietas solum, legibus & moribus gentium tantum non omnium vulgata, sed exempla quoq; expositorum, ex relatione annalium, misericordia *privata* non *publica* perinde servatorum. De Trajano imperatore narrat qvidem Alphonsus a Caranza *a*) qvod in monte Cælio extruxerit amplissimam domum reditibus & largitionibus egregie locupletatam, in qva expositi cum nutricibus quatuor annis alerentur. Verum privatæ humanitati Principis humanissimi illam deberi liberalitatem qvis non videt? Statim vero atqve paganæ superstitionis & feritatis caligo relegata fuit, Christianismo per imperium Romanum invalescente,

a) *Cap. IV. de partu legitimo, Sect. 2.*

hujus quoq; piiſſimi inſtituti memoria celebratur. Ante Juſtiniani tempora extitiſſe, ejus de brephotrophiis conſtitutiones evincunt. Cum enim Cæſares non valerent legibus reprimere peſſimum ac inveteratum exponendi morem, ejusmodi conſtitutis miſerorum receptaculis, non minus feliciter qvam prudenter & ſine turba eidem obviam iri cœptum eſt. Majorum pietatem, feliciæ mulatione ab hodiernis quoq; Principibus expreſſam invenimus. In pleriſq; enim rebus publ. ſaltem nobilioribus illis, non largi proventus modo, ſocietatum harum neceſſitatibus deputati, ſed legibus qvoque conſtitutum, ut qvam primum inciderit aliqvis in talem miſere expoſitum infantem, ad urbis aut loci illius Magiſtratum mox deferat, cujus deinde cura efficitur, ut in brephotrophium recipiatur, ibiq; ad propagandam vitam animalem & civilem neceſſariis rebus inſtruatur, donec uſui civitati eſſe, ipſeque ſibi annis

nis maturioribus commode proſpicere qveat. Dum vero in eo ſumus occupati, ut qvomodo parvulis, parentum facinore ejectis, pio ac decenti modo conſulatur, enarremus; nefas fuerit ſicco, qvod ajunt, pede, Amſtelodamenſium Batavorum aliarumq; vicinarum gentium *b*), transire inſtitutum, ſua neutiquam laude fruſtrandum. Quippe qvibus peculiari urbis loco taberna, iſti idonea inſtituto, excitata eſt, in qvam includuntur clam infelici fato devoti: ſed a qvâ ſortis iniqvitate eximuntur & liberantur ſtatim a ſuſceptoribus publice conſtitutis, qui ſui muneris ex officio in brephotroph. mox deferunt, & nutricibus ibidem publico ære conductis, novos alumnos lactandos fo-

b) *Ejusmodi brephotrophium opulentum ſatis Neapolitana urbs habet, non gentis ſimul expoſititis alendis ſufficiens. Imo in regia ſede Hiſpanica Xenodochium S. Mariæ decuplo majorem numerum expoſitorum ſuſtinere, teſtatur idem Caranza antea nominatus.*

vendosq; committunt. Quam egregiam alimentationis mercedem, qvantam civitati utilitatem præstent hi publicæ humanitatis alumni, officinæ manuariæ, societates commerciorum terrestres & maritimæ in illis terris opulentissimæ & frequentissimæ, testes sunt. Non me latet damnari istud a nonnullis molestè sedulis pissimum institutum, & traduci passim, qvasi propagandis cum peccato scortationibus quam maxime inserviat. Verum cum sobrie de rebus civilibus philosophanti cuivis non difficulter pateat, adeo non institutum illud ad portam peccatis aperiendam, (quippe quæ in illis rebus publicis, perinde atq; alibi, ubi manifesta effugunt) disciplinam publicam non evadunt, quin potius ad consulendum humanitati & occurrendum atrocioribus delictis, ne aliud ex alio increbesceret, & civitatem denum everteret, introductū esse, scrupulosa judicia in diversa abeuntium non multum moror. Illorum mentem

tem ſi quæ fortior vis præjudicii præſtringat, licebit modeſte diſſentire mihi: non ſolum, qvod naturali ratione, id eſt, divina voluntate juſtiſſimum exiſtimem, quidqvid ad tuendam vitam & generis humani ſocialitatem neceſſario dirigitur, verum etiam, qvod damnata ex illo capite, prudenti iſthac procuratione reipublicæ, neſcio quæ non ſaluberrima hominum, imo Numinis inſtituta quoq; ad conſervationem & refectionem vitæ tradita & commendata homini, proſcriptionē mererentur. *c) Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem. Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta Cæperit, audaces inſtruit igne manus d).*

Theſ. VIII.

Eſſet heic locus diſſerendi amplisſimus, de legibus & pœnis ſeveriſſimis, qvibus in aliis atq; aliis civitatibus, præcipue vero hoc noſtro regno, expoſitionis malum & qvam libet

c) Utile per inutile non vitiari tralatitium eſt. d) Ovidius Triſt. Lib. 2.

bet aliam abolendæ prolis diritatem pii principes ſublatum ivere. Verum cum repetita ſæpius promulgatio ſolennis legis (Barnamordz Placatet) ex plebe neminem ſui ignarum eſſe ſinat, & præterea ſupplicii genus idem, *capitis atq; rogi* in exteris civitatibus plerubique obtineat, ſupervacuæ recenſionis labore in præſentia ſuperſedeo. ſatis habens in fine diſſertationis noſtræ, nonnulla monere de poteſtate, qvalis ad ſuſceptorem pertineat, poſtqvam miſericordiæ ſuæ filius adoleverit? Non loquor de diſciplina domeſtica in puerili ætate ad finem educationis neceſſaria, qvam in hanc perinde atq; ceteram familiæ ſobolem parentes, ſuo optimo jure, exercebunt: neq; de republ. ſuſcipiente ejusq; circa eosdem alumnos ſuos peculiari jure, ex inſtituto nobis agendum, ſed ſermo nobis præcipue de privatorum liberali miſericordia, qvantum in expoſititium poteſtatis tribuat ſuſceptori, ſi rigide ille agere velit, neq; adeo pie-

pietatis animo ſervatum, quam ut eodem, ceu adſcriptitio utatur, inſtanter urgeat? Quid doctores ſcholæ ex jure canonico & civili reſpondeant, non plane ignotum mihi, nempe qvod beneficium gratuita pietate profectum, mercedem non admittat. a quibus neq; diſſentit Trajani reſponſum Plinio de conditione talium infantum ſciſcitanti datum, quod tanti non æſtimanda ſit alimentatio expoſititiis tributa, ut ejus redimendæ cauſa, congenitæ libertatis ſuæ jacturam quiſq; faciat. Verum ſalvis horum aliorumq; judiciis, intuitu *præſumti conſenſus* in quamcunq; vitæ non abolendæ ſed ſervandæ conditione qvamvis duriorem, exiſtimaverim plane eadem jura ſibi *ſuſceptorem* vindicare poſſe in prolem expoſititiam ſua liberalitate vitæ ſervatam, quam in vernas ſibi *dominus* quisq;, ex præſcripto divinæ juris prudentiæ vindicat, quamdiu homine ſui peculii non ad injuriam quamcunque abutatur; meretur enim uterq; exiſtentiæ alie-

næ

næ moralis cauſa ſalutari. Scio quidem urgeri *æqualitatis* & *libertatis* jura cum domino communia ſervo: inprimis vero *Chriſtianiſmi* mutuam dilectionem, qvæ quia ad majora virtutis ſpecimina obligat, ſervilis truculentiæ jugi e diametro repugnet. Sed cum mixturam illam Scholaſticam pii & theologi & philoſophi in Grotio dudum exploſerint, oſtendentes non ſolum non arctiorem in N.T. quam olim, nobis impoſitam obligationem, ſed & Chriſtianiſmum neq; abolere qvidquam, qvod ſocialitatis conſervationi, uſui fuerit; ſervilem ſtatum neq; per ſe neq: circumſtātiis, de quibus heic agimus, veſtitum, in numerum inhoneſtorum referri patiemur. Conſentit in eandem ſententiam nobiſcum princeps & legislator Romanus, præcipiens, ut *quicunq; puerum vel puellam, projectam de domo, patris vel domini ſcientia, collegerit, ac ſuis alimentis ad robur provexerit, eundem retineret ſub eodem ſtatu quem apud ſe collectum voluerit agitare; h. e. ſi-*

ve filium ſive ſervum eſſe maluerit. Interim cum ex humanitatis lege agere cœperunt ſuſceptores, vitam & alimenta miſeræ proli pie conferendo, non negandum quin multo ſublimiore gradu eadem ſe virtus eorum conſpiciendam præbeat, ſi facta aliquali compenſatione ſumtuum in prima ætate impenſorum, alumnos ſuos manumittant, neq; nutritionis gratuitæ & brevi ceſſantis cauſſa, perpetuæ eosdem ignominioſiſſimæque ſervitutis ærumnis ſubmittant.

Theſ. IX.

PLura non addo, cum ultra menſuram diſſertationis academicæ dudum excreviſſe videam immaturum hunc ingenii fœtum. Terminum igitur heic figo, contentionemque animi mei abrumpo penitus. Præſtet Deus, una cum Patria univerſia PATREM PATRIÆ auguſtiſſimum & clementiſſimum, Regem noſtrum FREDERICUM ſemper incolumem & felicem

cem, ut PACIS ARTES, illius ſub auſpicio tum in ceteris regni partibus, tum inprimis hac ampliſſima regni SVEOGOTHICI ditione incremẽtis perpetuo felicibus, ad veterem gloria famamq́; contendant.

S. D. G.

Till

Sin Wän och Landsman/

RESPONDENTEN,

Äreborne och Högwällärde/

Herr GUSTAF FABRICIUS,

Då han med allas nötte
Diſputerade i ÅBO
Hög-Scholа.

DEt är mig kärt, och mig af hiertat gläder,
At Ehr, min Wän, så wäl tilſkurna fiäder,
Har kunnat bringa fram ett Lärdoms prof,
Hwar med I lönn för mödan kunna finna
Wid Helicon, där I nu tänckt at winna
The Muſers löf.
Ehr lärda ſkrift den Hedna-Seden laſtar,
Som ſpåda Barn äfh blinda lyckan faſtar

Ut

Ut ifrå dem, som dem til werlden
f'dt,
Som sed'n ett mer på deras bästa tänc-
kia,
Men Barnet i ett glömske = mörcker
sänckia,
Så qwickt som dödt.

Hwad hierte = lag mån doch en sådan
åga,
Som mot sitt Foster täcks såd'n hård-
het pläga,
Hwar med doch willdiur sig ett wi-
sa fram?
Owärdig wist at Moders = namnet bä-
ra
En sådan är, sig sielf en stor wanåhra,
Sig sielf en skam.

Då detta nu, min Wän, så lärdt utfö-
rer,
Mitt blod uti min' ådror skickar, rörer
Sig til en fägnad uti deße ra'r:
Jag önskar dy, Er himlen täckts beskära
Sin nåd, och Eder tusend godt förära
I all' Er da'r!

Yttrar sig således
Deß uprichtiga Wän
ERICH CAJANUS Erichßon.
O. Bothn.

An den

Wohl-Ehren-Vesten und Wohlgelahrten Herrn

Herr GUSTAF FABRICIUS.

Sonnetto.

Hat wieder Romulo und Remo sich versprochen
Ein man der ruhmlich ihr auß-werffung rächen kan?
Ja freylich: Werther Freund/ ihr seyd derselbe Man/
So unter andern habt ihr flucht mit-mit ruhm gerochen.
Ihr schreibt von Kindern/ die noch zarten sind gestochen
Von ihren eltern/ die sie selbe brachten an
Dem tag; ein ander wird dem wasser zugethan;
Auch werden etlichen die hälser abgebrochen:
Ihr weiset wie man solch' abscheuliche Tyranney

Zu

Zu vorn hat geübt / und wie es
straffbahr sey.
Ich wünsche Euch mein Freund des
himmels gnaden zeichen/
So Euch beleuchten mag / und
stehen kräfftig bey:
Ich wünsche daß der fleiß / der
schweiß und allerley
Was Ihr hieran gelegt/ mag Euch
zur ehre reichen.

D. JUSLENIUS.
D. F. D. N.

Onnen Toiwotus;
Coska/
Cunnia sucuinen ja Hywin oppinut
Herra,
Herr GUSTAVUS FABRICIUS,
Tämän Hänen caunihin työnsä edestä wastaisi, Turun korkiasa
Schouluſa.

Cazo Poika Pohian maalda/
Joll' on ollut paljo huolda;

Cuing' Hän mahdais itzens käyttä/
Ja myös oppiansa näyttä;
Cuin Hän nouse Cathedrahan/
Kirjoitustans wastamahan/
Wärjä pojes estämähän/
Puhel' wärä wäÿymähän:
Mutta kyll' on Hänen reunas/
Samas Pöntös/ samas Laudas/
Herra opisa Waldia/
Joca rÿdan caick' oÿenda.
Täsä Hän nyt matka teke/
Sen kyll' hywin caiki näke/
Ylös Pindin wuorel mennä/
Siellä Onni itzas käännä.
Töi'säns händä auttamahan/
ja myös aina caitzemahan/
Pyri/ Pyri tälle säälle/
Onne! Onne! matkan päälle/
Mee nyt caiki toiwotamme
Sulle aina/ ilosamme:
Mutta Laita ettäs pian/
Tulet siellä sihen sian/
Cusa Virtus wihriöitä/
Päsi pääle kihriöitä/
Pane sulle cunniaxi/

Ja

Ja myös surexi palkaxi/
Sinun työös ja huoles edest.
Me'e nyt päis/ ja jä jur hywäst!

Maan miehelle näin onne
toiwotta
PETRUS CAJANUS, G. F.

Eidem.

Culmina dum tentas clivosi scandere Pindi,
Et teneram monstras sobolem non rite relictam:
Ausibus opto Tuis adspiret summus Jova!
Condecoret viridi lauro Te Magnus Apollo!
Lætus & accipias, ab eo qui singula pensat,
Præmia pro meritis, condignaq; dona labore!

Ita ex animo gratulatur vovetq;
Abrah. Rœringh.
O. Bothn.